B. c. D.

THESES MISCELLANEÆ

quas

affulgente Divina Gratia

suffragante Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

Pro Examine Pastorali subeundo

Bonorum censuræ modeste offert

JOH. H. W. JULIUS,

V. D. M.

Die XXIII Maji MDCCCXXXII.

LONDINI GOTHORUM,

Typis BERLINGIANIS.

MDCCCXXXII.

Thesis I.

In Sacris Litteris lingua nostra vernacula reddendis a sensu litterali sæpissime quidem recedendum, non vero eo nomine, ut hic sensus omnino deperdatur, sed quantum fieri possit servetur vel designetur. Quibus positis versio vetus nostra Svecana verborum Davidis in Ps:mo XVI v. 2:do טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ, ita sonans: "Jag måste för tina skull lida;" nimis longe a sensu S. Auctoris discrepans nobis videtur. Sensui vero ejus propior hæc mihi videtur interpretatio: *Mitt högsta goda är Du.*

Th. II.

Vocabulum δεισιδαιμονεστέρους in Act. XVII v. 22 per omni modo superstitiosos vulgo vertitur; potius vero per *religiosiores* interpretandum esse puto.

Th. III.

Ut cuique ratione prædito nullum officium est sanctius, quam veritatem ubique obviam investigare; ita ministro verbi Divini nihil gravius est, quam veritates, quæ hominum maxime intersunt, probe cognoscere, cognitas sequi, et quæ varia sub dicendi ratione latent, detegere atque in aperto habere.

Th. IV.

Inter veritates Philosophiæ, ut ajunt, quæ doctoris Evangelici maxime intersunt, permagni momenti esse eas, quæ nomen Moralium ferunt, statuere haud dubito. Quæ autem veritates, licet ope rationis innotuerint, Revelatione tamen divina melius perspiciuntur, et ab hac, ut a vero et limpido suo fonte sunt hauriendæ atque demonstrandæ.

Th. V.

Nihil nobis possumus imaginari, nisi quod antea sensibus percepimus; nihil appetere possumus, nisi id, quod tamquam bonum animo concepimus; et nihil aversari possumus, nisi id, quod tamquam malum nobis representamus.